

# 24<sup>TH</sup> LATIN SUMMER SCHOOL

15<sup>th</sup>-19<sup>th</sup> JANUARY 2018

New Law Building, University of Sydney

## LEVEL 4.2

Charles IV's *Life of St Wenceslas*

Instructor: Peter Kalina



## THE LEGEND OF ST WENCESLAS

While the Holy Roman emperor Charles IV the author of this text is a famous figure in European history, the bulk of the studies on his life are written in either German or Czech. There is some information available on the internet for both St Wenceslas and Charles IV. Listed below are books in English.

Nagy Balazs and Frank Schaler. *Autobiography of Emperor Charles IV and his Legend of St. Wenceslas*. Budapest: Central European University Press, 2001.

Jarrett, Bede. *The Emperor Charles IV*. London: Eyre and Spottiswoode, 1935.

# **DIES PRIMA**

## **KAROLI IV IMPERATORIS ROMANORUM**

### ***[HISTORIA NOVA DE SANCTO WENCESLAO MARTYRE]***

Incipit hystoria noua de sancto Wenceslao martyre, duce Bohemorum, per dominum Karolum, imperatorem Romanorum, regem Bohemie, compilata.

Leccio prima. Crescente religion Christiana diuina fauente clemencia baptizato Swatopluko, Morauorum rege, a beato Cirillo, ibidem archiepiscopo, succedente sibi fratre in sede archiepiscopali beato Metudio baptizatus est illustris Borziwoy, dux Bohemie vna cum beata Ludmila martire, sua coniuge, ab ipso beato Metudio presule in ciuitate metropolitan Moraue Wellengradensi in ecclesia beati Viti. Deinde prefatus princeps Borziwoy genuit Spitigneum et Wratislaum. Wratislaus vero genuit ex Drahomirzs duos filios: beatum Wenceslaum et Boleslaum impium. Wratislaus ex puro corde colebat fidem christianam, Drahomirzs autem ydolorum sectis se implicabat.

Leccio secunda. Gloriosissima igitur matrona et patrona Boemorum, prima margarita necnon primus flos in Boemia carptus, beata scilicet Ludmila, nepotem suum beatum

Wenceslaum in fide christiana ac sacris literis et eloquijs euuangelicus inbuebat. Tandem pius consolator, spiritus sanctus, liquefecit cor pueri et interior eius inflammauit in tantum, ut ab extra scintilla sue erudicionis fulgerent sicut lampades inter pios et iustos et fructus eternitatis florent ex mellifluo ore eius. Nam ex predicacione sua illuminata est patria Boemorum. Virginitatem seu castitatem portauit mente et corpora. Martirium sciens pro Christo, non palliabat veritatem fidei christiane, sed palam predicabat, oracionibus, vigilijs, elemosinis et alijs pijs operibus semper intentus et humilis super omnes coetaneos suos.

Accidit autem quod inuida Drahomirzs, appetens extolli pre socru in ducatus regimine, tyrannos pessimos Tunnam et Gumonem misit in castrum Tethyn, qui beatam Ludmilam strangulantes martirio extinxerunt. Quam Christus torquatam torque aurea assumpsit in celum.

Leccio tercia. Deinde pessima tyranna fremens infremuit in Christi fideles. Filius autem ipsius primogenitus, beatus Wenceslaus, doctrinam et legem christianam, scilicet auie sue, beate Ludmile, firmiter tenebat, revocans christianos disperses, et eis omnibus pia opera inpendebat. Panem et vinum ad sacrificial missarum proprio labore et minibus excolebat, ligna et alia necessaria orphanis, viduis et pupillis proprijs humeris noctis tempore deportabat.

Interea dux Gurimensis humilitatem sancti despiciens, terram et ducatum suum cepit opprimere et vastare, ita quod coactus beatus Wenceslaus congregato exercitu obviam in campum sibi occurrit ad defensionem gentis sue.

Quem dux Gurimensis spreuit cum exercitu suo et occurrens ei sibi bellum indixit. Cui beatus Wenceslaus legaciones misit dicens: Si cupis ducatum meum, cur interficerentur in bello, quibus appetis dominari? Ego enim sanguine tuorum non desidero effundi. Sed si appetis bellum, me vince solum et omnibus meis dominare in pace. Si autem te vincam, similiter tui sint mee dicioni subiecti. Audiens hoc dux Gurimensis letanter sub tali pacto condixit secum duellem, stantibus ad spectaculum exercitibus ex vtraque parte, angeli celestes comitabantur beatum Wenceslaum et crux fulgurans precedebat faciem eius. Cum autem hoc vidisset Gurimensis dux, prostrates coram eo petijt veniam. Cui beatus Wenceslaus ait: Remeare in propria et contentus esto tuis, tua autem non desidero; vade in pace.

## **DIES SECUNDA**

Leccio quarta. Deinde beatus Wenceslaus vocatus ad imperialem curiam, ab imperatore et principibus est honorifice receptus et ad colloquia et consilia imperatoris invitatus. Tardabat quodam mane venire propter labores et fatigas nocturnas, quas faciebat in vigilijs et oracionibus, ita vt imperator cum principibus putarent eum arroganter pigritare. Et decreuit imperator cum principibus ob hanc causam eum, cum tarde venire, in consilio non honorare. Postquam autem venit beatus Wenceslaus ad consilium imperatoris et principium, imperator vidit angelos eum ducentes et crucem auream in fronte ipsius maximo splendore nitentem. Tunc imperator procidens ad pedes eius cum principibus veniam pecijt, postea rogans eum, ut iuberet seu peteret, quicquid vellet. Tunc pecijt brachium beati Viti martiris, quod imperator sibi dedit.

Quo allato Pragam edificavit ecclesiam sub titulo ipsius gloriosi martiris, petens a venerabili Ratysbonensi episcopo, tunc Bohemorum diocesano, vt non pigritaret venire ad consecracionem dicte basilice. Cui venerabilis antistes ait: Numquid, filij, indiges de me? Nam tuam ecclesiam, quam consecrari desideras, in metropolitancam vidi erectam et sublimatam coram deo. Sed nutu tuo ad consecrandam ipsam libenter mittam.

Leccio Va. Cum quadam vice iret beatus Wenceslaus nocturne tempore nudipes ad ecclesiam hyemali tempore, dum niues et glacies campos et viam occuparent, miles suus secretaries nomine Podywen eum sequebatur, in cuius pedibus frigus invaluit, quamvis esset calcitus, vt tolerare non posset. Cui beatus Wenceslaus aiens dixit: Pone pedes tuos in vestigijs pedum meorum, quod et fecit, et calefacti sunt pedes militis, ita ut nullum frigus deinceps sentiret; vestigial autem pedum gloriosi martiris cruentata fortiter apparebant.

Dederat se itaque gloriosus princeps Wenceslaus karitatiue largitati, vt infants serviles emeret liberati et Christo faceret heriles, vincula et patibula destruens, timens, ne sanguis proximi iniuste condempnaretur. Multa veridical future predicebat seu innuebat, vnde inter alia revelata ei extitit translacio gloriosae auie sue beate Ludmile martiris, cuius corpus, prout revelatum sibi fureat, repperit incorruptum. Quod ipse cum magna devocione honorifice transtulit in ecclesiam beati Georgij castri Pragensis. Deinde beatus Wenceslaus appetens celestia despiciensque terrena misit legacionem apostolic, vt monachalem habitum accipiendi licenciam sibi daret secundum ordinem beati Benedicti, principatum resignare desiderans fratri suo Boleslao. Ipse vero frater suus Boleslaus bonis eius actibus invidens, terrena concupiscens et celestia despiciens, eius principatum desiderans celeriter sceleri se inmiscuit et ipsum gloriosum principem ad conuiuium in castro Boleslouiensi, quod contruxerat, invitauit.

Ipse vero mortis sue prescius tamquam ouis occisionem permisit se duci. Qui seductus a fratre mundane ducebatur ad celestem palmam martirij, gaudens et gracias deo agens.

## **DIES TERTIA**

Leccio sexta. Nam cum in cena recubisset cum conmilibus suis, aiens dixit: Cras, in vigilia prepositi paradisi, calicam passionis amore domini bibam; qui animam meam representabit deo meo. Nunc autem mecum bibite et epulamini, nam de genimine huius vitis amodo non bibam vobiscum. Tunc a cena surgens oracionibus se dedit, gracias agens deo, puram confessionem faciens contrite et conpuncto corde, cum desiderio satisfaciendi a sacerdote veniam pecijt et cum amaro fletu pro peccatis tam suis quam proximorum vsque ad gallicinum exorauit, deuotissime autem in matutinis horis perseuerans, et in aurora verum solem rutilantem anime, scilicet corpus domini, sumpsit. Et sic illuminates et procuratus tamquam iubar matitutinum nocturnis insidijs obvians, de potestate tenebrarum fratrem suum procedentem seuum et impium dulci affatu salutans, velut alter Abel a Cayn wlneratur.

Et cum eum percussit, abijt retro et cecidit, non habens potestantem in viro dei. Sanctus autem Wenceslaus, optans voluntarie offerre sacrificium deo et ponere animam suam pro Christo, restituit sibi gladium aiens: Voluntas tua sit in minibus tuis. Qui accumulans peioribus pessima sicut vrsus insidians de spelunca iterate in eum irruit cum suis complicibus et sicut vippera carnem et sanguine suum lacerare desiderans in proprium



germanium gladium extendit cum suis complicabus, ita ut morte eum affligerent, animam deo, corpus terre relinquentes. Cuius sanguis fratricidium ante deum proclamans<sup>1</sup> abstergi nulla humana arte vnquam potuit.

Tempore autem sue gloriosae passionis Christus regi Dacie apparens in cruce eum hortatus est, vt ecclesiam sub tytulo martiris sui Wenceslai construeret, prout veniam ab eo appeteret obtinere, quod et fecit.

Illo eciam tempore pessima et ignominiosa Drahomirzs, mater sua, velut altera Jezabel, sequens crudelitatem impijssime Athallie, que in proprium sanguine suum regalem seuijt, procuratrix exitit effusionis innocentis sanguinis martiris primogeniti sui, beati Wenceslai, velut Dathan et Abiron a terra absorpta est in publica strata ante castrum Pragense versus occidentalem plagam, prout vestigial telluris vsque in hodiernum diem cernuntur. Complices vero interfectionis fractricide beati Wenceslai tam tabadis quam pessimis plagis percussi sunt.

Sequitur legenda de translacione santissimi et egrgij martyris Wencezlay ducis Bohemorum.

Translacio autem gloriosi martiris de Boleslaviensi ad Pragensem ecclesiam ex mandato impij principis Boleslai fratricide ad occultacionem fame miraculorum ex ipsius meritis a deo prodiencium obduratam mentem fratricide prostravit. Dum lux lucis in sua allacione tenebras illuminavit nocturnas et obscures Pragenses carceres illustravit et captivos liberavit, aqua calcari se permisit, nam vehiculum cum sequacibus torrentis Rokitnycie et Wltauie pertransiit, terra etiam Christi militia applaudens contremuit aerque suavissimum odorem de corpore suo triennio humato emisit et sic deus in sua allacione per quatuor elementa eum honorare voluit. Et ita in optatam suae sepulture felicis ecclesiam, quam edificaverat, adductum corpus suum omnibus vulneribus sanatum est praeterquam vulnere auriculae, quam frater propria manu sibi absciderat, quam et soror sua Przebyslava in Boleslaviensi ecclesia inter ostium et limen inventam post triennium suo capiti applicavit cum sanitatis integritate, sic quod in eo cicatrix vulneris nulla appareret.

Aput autem gloriosissimum corpus ipsius tam in allacione quam etiam post sepulturam in Pragensi ecclesia per ipsius merita dominus multa miracula in omnibus infirmitatibus operatus est et adhuc in Christi fidelibus operator, sicut scriptum est: *Nimis honorati sunt amici tui, deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Nam per preces et merita ipsius deus exaltauit et honoravit principatum suum, videlicet Bohemorum.

## **DIES QUARTA**

Leccio secunda. Fratricida vero ipsius, Boleslaus impius, reliquit post se primogenitum, scilicet pium Boleslaum, qui ecclesiam Pragensem sancti Viti, quam sanctus Wenceslaus edificauerat, sublimauit in ecclesiam kathedralem, et filiam nomine Mladam, que instaurauit abbacium sanctimonialium sancti Georgij in castro Pragensi in ecclesia quam Wratislaus, pater sancti Wenceslai, antea fundauerat, et prima abbatissa in eodem monasterio effecta est.

Secundus autem filius, nomine Strachquas, ad cuius natale per fratrem invitatus gloriosus martyr sanctus Wenceslaus martyrium subiit, monachalem habitum assumpsit ordinis sancti Benedicti in monasterio sancti Emmerammi ciuitatis Ratysponensis et postremo assumens sibi presulatum Pragensem, non tamquam Aaron vocatus a deo, set propria temeritate occupauit in preiudicium sanctissimi Adalberti, predictae Pragensis ecclesie pontificis, in die sue indigne consecracionis arreptus est a demonio et ab eo vexatus vsque ad mortem.

Leccio tertia. Memorie namque dignum putamus describe veritatem miraculorum predicti sanctissimi martyris a deo misericorditer prodiencium in suis fidelibus et devotis. Nam ex antiquis scripturis et veridicis relacionibus invenimus, quod cliens ipsius secretaries, Podiwen nomine, qui cum in multis bonis operibus sibi comes affuit, scilicet in vigilijs, peregrinacionibus et laboribus, ex iussi Boleslai impij, fratricide predicti, suspensus est patibulo, quia zelator et relator bone et sanctissime vite ipsius sancti Wenceslai eciam post mortem extiterat, et post biennium incorruptus barba et receptus et in ecclesia Pragensi honorifice sepultus.

Leccio quarta. Invenimus eciam in eius miraculosis descriptum, quod multi captivi eum invocantes per merita eius ex diris carceribus sunt liberati. Inter quos gentilis quidam liberates gratiam dei et martyris miracula expertus baptismi sacramentum est adeptus cum vnico filio suo, quem obtulit deo ad clericatum in laudem martiris. Qui deinde proventus est ad sacerdotalem dignitatem, deo suoque martiri seruiens vsque ad vite consummacionem. Mulier eciam quedam visu orbata, manuum recurua inflexione ab ipsa natiuitate contracta, que videlicet ad ecclesiam sancti Viti martiris ingress et ante sepulchrum beati Wenceslai adducta, orans intime cum lacrimis, lumen oculorum et manuum recepit sanitatem.

Leccio quinta. Vir quidam de Franconia ab adolescentia sua ex natali defectu contractus pedibus, ita vt solo reptando graderetur, in sopore nocturne vidit virum venerandum albis indutum dicentem sibi: Duci te facias ad ciuitatem Pragensem ad ecclesiam sancti Viti, vbi requiescit corpus sancti Wenceslai martiris, cuius meritis perfectam recopies sanitatem. Qui sompnaisse se putans iussa implere neglexit. Nocte autem secunda ab eodem sene sibi cum maxima claritate apparent iterate monitus, quod nequaquam dimitteret, quin monita predicta perficeret. Qui iussis apparentis venerabilis senis obtemperans tandem Pragam delatus prostrates solo ante sepulchrum martiris gloriosi in dicta basilica sancti Viti nerius extensis, basibus consolidates et plantis recepit perfectam sanitatem, ad propria remeauit, laudens et glorificans deum et gloriosum martirem Wenceslaum.

Leccio sexta. Anno domini millesimo nonagesimo secundo in Natiuitate sancte Marie virginis gloriose dei genitricis post matutinas iam illucescente die beatissimi martyres Wenceslaus et Adalbertus visibiliter apparentes carceris Pragensis vectes et hostie ferrea confregerunt. Et intrantes carcerem cyppum permaximum cuneis ferries muro infixum compeditis solutis in angulo carceris posuerunt, precipientes per eos liberates: Quam cicius ad ecclesiam currite annunciantes omnibus vos a deo missos pacem regno attulisse de gwerra, que erat inter regem Wratyslaum, quam deus hucusque permiserat propter peccata populi punienda. Ipsi vero liberati statim ad ecclesiam currents omni populo cum gaudio nunciauerunt moxque in crastinum, quod sancti viri predixerant, feliciter est impletum.

Nam Conradus, frater regis, concordiam inter regem et filium fecit et sopiuit bellum intestinum, quod erat summa desolacio Bohemorum. Nec dubium, quod recibus et meritis sanctorum patronorum nostrorum Wenceslai et Adalberti pax et Concordia illa a deo fuerit missa, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

## **DIES QUINTA**

### **BREVIARUM ROMANUM 28 SEPTEMBRE**

Wencesláus Bohémiae dux, Wratisláo patre christiáno, Drahomíra matre gentíli natus, ab ávia Ludmílla fémina sanctíssima pie educátus, omni virtútum génere insígnis, summo stúdio virginitátem per omnem vitam servávit illibátam. Mater, per nefáriam Ludmíllae necem regni administratiónem assecúta, ímpie cum junióre fílio Bolesláo vivens, concitávit in se prócerum indignatiónem; quare, tyránnici et ímpii regíminis pertæsi, utriúsque excússo jugo, Wencesláum in urbe Pragénsi regem salutárunt. Ille, regnum pietáte magis quam império regens, órphanis, víduis, egénis tanta caritáte subvénit, ut própriis húmeris aliquándo ligna indigéntibus noctu comportárit, paupéribus humándis frequénter affúerit, captívos liberárit, carcéribus deténtos nocte intempésta visitárit, pecúniis et consílio sæpíssime consolátus. Miti ánimo princeps veheménter dolébat quémquam, etsi reum,

morti adjudicári. Summa religióne sacerdotés venerátus, suis mánibus tríticum serébat et vinum exprimébat, quibus in Missæ sacrificio uteréntur. Nocte nudis pédibus super nivem et glaciem circuíbat ecclésias, sanguínea et terram calefaciéntia post se relínquens vestígia. Angelos hábuit sui córporis custódes. Cum enim ad singuláre certámen advérsus Radisláum, ducem Curiménsem, eo fine accéderet, ut suórum salúti prospíceret, visi sunt Angeli arma ministrásse et dixísse adversário: Ne férias. Pertérritus hostis, venerabúndus prócidens véniam exorávit. Cum in Germániam proféctus esset, imperátor, conspéctis duóbus Angelis áurea cruce ad se accedéntem ornántibus, e sólio prosíliens bráchiis excépit, régiis insígnibus decorávit, eíque sancti Viti bráchium donávit. Nihilóminus ímpius frater, matre hortánte, convívio excéptum et póstea in ecclésia orántem, parátæ sibi mortis præscium, adhíbitis scéleris comítibus, interfécit. Sanguis per paríetes aspérsus adhuc conspícitur, et, Deo víndice, matrem inhumánam terra absórbuit, interfectóres váriis modis míserè periérunt.

---